

vavi. Quem mihi laborem aliquantum levavit virorum sermonis latini peritissimorum auctoritas et amicitia. Praeter caeteros Kraftius noster itemque Wernsdorfius, AcademiaeJuliae Carolinae quondam Professor, qui hoc volumen in ipso officinae typographicae loco corrigendum curavit, uterque vir stili elegantioris latini familiaritate maxime insignis, si quid nubeculae mihi rerum difficultas et haesitatio mea offuderat, gratissimam lucem commodarunt. Caeterum aequos arbitros similesque eorum, quibus priores Robinsonii interpretes studia sua probarunt, neque huic operae spero defuturos, ut, si Deo juvante ad alteram ejus partem elucubrandam otia mihi et vires suppetent, externa studiorum hortamenta ne destituant conantem, in primis que magistrorum, qui teneram aetatem latinitate imbuunt, favens aura studiis nostris conatibusque adspiret.

Dabam Hadmerslebiae in Ducatu Magdeb. pridie idus Maj. MDCCCXXII.

*J. Fr. Th. Nagel.*

---